Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8166
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



2

omnibusq; Jesuitis meliorem Confugisti: nunc verò quid
in eo cernis, quod non totum sit humanum, longeq;
deterius moribus Jesuitarum? Ad Jesuitas ne igitur
redibis? at tanto Confusus dedecore post hac apud
eos attollere oculos non audebis; & ita tua ibi
uita multò ipsa erit morte miserior. An ad Euan-
gelicos transibis? at hij christiani præter nomen
ferè habent nihil: quippe qui sola contenti fide,
ab omni fermè charitatis & virtutis studio abdu-
cuntur: quare multò tibi fortasse honestius &
leuius foret occidi à Catholicis, quàm uiuere
aud Euangelicos. Atq; his, & huiuscemodi
alijs, tùm diurnis, tùm nocturnis angoribus, et
desperationem procellis per integrum mensem
in Bohemia Conflictatus, & veluti in orbem,
modo ad vos, modo ad Euangelicos animo raptatus,
tandem verò omnino in Lutheranorũ sedem,
& regionem sum deportatus. Nam à Florenio
digressus, atq; ijs, qui me ad se inuitarãt, Bohemis
nobilibus valere iussis, Maio mẽse in Saxoniam
concessi: ibiq; afflicti mei releuandi animi grã
præcipuos Lutheranæ religionis Doctores inuisi.
Sed ij nescio quo modo vel à me refugerent,
uel mecum Theologiæ adijta ingressi, græculis